

tuscumque numerus dierum totius vitae et circulationum unius diei statuatur.

8.

Sufficere haec possent ad vanitatem systematis numerorum naturae et historiae ab hoc auctore conditi evincendam. Verum quum ille etiam temporibus planetarum periodicis arithmetica suam adhibuerit, quo magis de nugatorio huius arithmeticae usu constet, collationum, quas fecit, nonnullas adhuc delibabimus.

Primum ipsi notatu maxime dignum videtur, quod media distantia Urani a sole distantiae mediae Mercurii ab eodem 50ies sumtae aequetur, quodque annus Uranius sit 7×50 annorum Mercurialium, quare cyclum Iobelaicum 50 (rectius 49) annorum hic immiscere non dubitat, perquam concinne id fieri pronuncians, ut ultimo membro systematis nostri planetarii numerus ab anno Iubilaeo ductus adiunctus sit. — Ast absurdam esse hanc et rerum dissimillarum compositionem inde patet, quod rationes illae, quae in distantis et temporibus periodicis Urani et Mercurii deprehenduntur, *ab omni aevo* obtinere, cyclus Iobelaicus autem in Tellure, cui nemo sobrius ullam praerogativam prae reliquis planetis tribuerit, institutum politicum et *temporarium* fuit, quod ad unam tantum gentem pertinebat, et ab hac vix unquam observatum fuisse videtur. Accedit, quod in auctoris ratione ponitur; Uranum extremum et altissimum planetarum nostri systematis esse. Quis vero hoc pro certo atque indubitato adfirmare ausit?

Chaldaeos deinde excitat auctor, eosque velocitatem medio-crem hominis mediae staturae tantam statuisse refert, ut totum globi terrestri ambitum ipsius anni s. $365\frac{1}{4}$ dierum spatio emittatur. — Haec vero auctor nimium alienae auctoritati fisus de vera Chaldaeorum sententia, quae apud Achillem Tatum